

vitate XIII. Kal. Junii. Senenses illuc Oratorem mittunt, ut corpus recipiant; sed nequaquam impetrarunt. At Senis ejus exequiæ solemnî pōpa celebrantur.

Franciscus Sfortia ab Eugenio Pontifice, atque Alphonso Rege ex Neapolitano Regno, & Ecclesiastica ditione pulsus, ademptis sibi prius, quæ in his locis tenuisset, Oppidis, in Senensem agrum cum equitibus trecentis, totidemque peditibus, profugus adventavit. Cùmque Urciæ Vallem attigisset, à Senensibus comæatum pecuniæ persolvendum postulavit, obtinuitque; quin & edulibus quampluribus beneficè fuit elargitus, ac postmodum in Urbinatem agrum concessit.

A Tempestas maxima, atque horribilis ventorum vis in Civitate invaluit quarto Nonas Julias, ita ut majoris Basilicæ testudinis tegmen, quod plumbeis laminis confectum est, pluribus in locis aut disjecerit, aut in circumvolutæ corticis figuram contorserit, eum non plus horæ dimidio perduraverit.

Eugenius Pontifex moritur Sexto Kalend. Martias, & Nicolaus Quintus propediem creatur. Senenses ad eum Oratores gratulabundos mittunt Johannem Piccolomineum, Urbanum Petri Belli, & Leonardum Benevolentium.